Cracoviensis studior. Univ. Jagell.
Promotiones Ordinis Philosoph.
1652.

~~Poezja 2984.~~

Liznievic franc: Aquila academica Jagelloniano diademate sceptrisque decora etc.

AQVILA
ACADEMICA
IAGELLONIANO Diademate Sceptrisque
DECORA,
AQVILÆ SARMATICÆ
FILIA,
DEI MAXIMI NVTV,
PONTIFICVM ROMANORVM PRIVILEGIIS,
REGVM POLONORVM IMMVNITATIBVS,
ORDINVM REGNI PATROCINIO,
Jllustrissimi ac Reuerendissimi Dñi,
D. PETRI GEMBICKI
Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI CRACOVIENSIS,
DVCIS SEVERIÆ
FELICI
CANCELLARIATV.



Tertium adimplens sæculum

LVCI PVBLICÆ

A D

Magiſterij in Artibus Liberalibus & Doctoratus in Philoſophia Obtinentes Licentiam.

P E R

Clariſſimum ac Doctiſſimum Virum,

M. IOANNEM TONSKI

I. V. & Medicinæ Doctorem ac Profeſſorem,

ILLVSTRISSIMI ARCHIATRVM,

Radijs rigidi Examinis probatos

XL. exponens Pullos.

ANNO

Metra DoCent annos LegIto sI noſſe peroptas.

A

FRANCISCO LIZNIEWIC, eiuſdem Magiſterij CANDIDATO.

SEPTEMTRIONI

MONSTRATA.

IN STEMMA ILLVSTRISSIMI, ET ACADEMIÆ CRACOVIENSIS.

Quæ cerno, quæ ſunt Inſignia? Præſul, Auiſque,
Infula, Sceptra, Mucro, Faſcia, Mitra, Pedum.
Faſcia GEMBICII; Mucro, Mitra *Principis*; Ales,
Sceptra *Scholæ*; *Myſtæ, Stemma,* Tiara, Pedum.
Felix augurium, ſi iam ſociata manetis
Stemmata. *Vos melius conſociabit Amor.*

Alexander Zelinski.
Stud. Poëſ. A. A. C.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D.

PETRO GEMBICKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia

Episcopo Cracouiensi, Duci Seueriæ, Cancellario
Fauentissimo Academiæ Cracouiensis.

Domino & Patrono Amplissimo S. & Perennitatem.

PRidèm volitantes geminas Septem-
trionis Aquilas nunc ego primùm cō-
spexi PRINCEPS ILLVSTRISSIME
Quarum primam expansis erectam *Crom. l. 2.*
alis Orbis Lechici primum Principem *de Reb. Pol.*
Insigne boni auspicij PRINCIPIBVS
POLONORVM datum, manere voluisse, testis tempo-
rum loquitur Historia: Alteram (quam Persona induta *Inform.*
Pontificalibus in solio residens, Sceptris duobus Diade- *Iuris & fa-*
mati suppositis demissam ad solij basim tenet) ne aliquid *cti vot.*
desiderari possit, quod ad Reip: Literariæ securitatem,
& in Regno Poloniæ prærogatiuam ac dignitatem am-
pliandam & stabiliendam facere videretur, ACADE-
MIÆ Cracouiensi *in Regno Poloniæ Pietatis & Religionis* Ma- *Ex literis*
gistræ, Ecclesiæ DEI & Reip. Polonæ Seminario, Sedis *Laur. Go-*
Apostolicæ Romanæ Cultrici Diuus IAGELLO præfi- *ślicki, Ep:*
ciendam censuit. Tibi hæc vtraq; debetur Aquila: illa vt *Culm. ad*
Senatori Sarmatico; hæc vt CANCELLARIO Academi- *Sixtum V.*
co. Et illa quidem salutarem toties iam sibi GEMBI-
CIANÆ Domus experta est, vt & nunc experitur dex-
teram; dum zelosissimos pro bono publico Cancellari-
os, amantissimos Patres Patriæ suspexit: Hæc verò man-
suetioribus cicurata Musis Tuæ Domus Inclytæ Fascijs
se illigatam recognoscit. Quid enim aliud velle sibi vi-
detur, illa Pontificalibus ornata Tiaris Persona in gremio
suo fouens Aquilam, nisi Te Tuosq; Successores omni- *Ex Priuil:*
um Libertatum, Immunitatum, Exemptionum, & Sta- *Vladislai,*
tutorum Studij Conseruatores. Ac missis alijs Tuis Præ- *qd. incipit:*
decessoribus hanc Iagellonicam fortissimè semper pro- *In Ciuitate*
pugnantibus Aquilam, à Te toties, seris narranda Nepo- *nostra.*
tibus firma sunt ipsi porrecta præsidia. Ibat ereptum eius
regimen quondam Trochilus, astu callido euolans in al-
tum: Tu vanos conatus eius ostendisti; Insurgebat vi-
ribus clandestinis: Tu vires eius repressisti. Idem maio-

ribus viribus per astum ingeniosum eandem impugnatur9, diutius Inter Harpyas crediderim infernales propè Stymphalim lacum cōmoratus, fortè vt NICocreontis tyrannidem ad tundendos Anaxarchos imbiberet, vel, vt queādmodum Magnus OLAVS monumentis, ita ille Theonino dente innotesceret maiori nisu vncis manibus obarmatus, eandem lacerat: Tu Patrocinij Tui salutari Dexterâ ne *Lanci*nata maneat quanto*cyus* prouidebis. Hæc Aquila omnes furentium procellarum insultus, velut Testudines ad Te Petram, quia Petrum, feliciter tandem aliquàndo allidet; & allisit iam aliquoties fortunatissimè, dum immanissimas Dissidentium (qui nidum Aquilæ huius demoliri contendentes, ipsam per tot fora Castrensia, subselia Tribunalitia, ac demùm Comitia Generalia suffocare, genuinamque eius sobolem extremis, ita vt nulla extet memoria, addicere supplicijs: laborabat) furias superauit. Gratulatur sibi & Tibi gratias agit, quòd ex ipsius fati per Te ereptæ faucibus, liberè adhuc illi per sublime Orbis Sarmatici liceat volitare. Gaudet vel maximè, quòd illi soli Pontificum Romanorum authoritate, Regum Polonorum immunitate, Tuo & Ordinum Regni fauore, legitimum fas sit è suo nido luci publicæ exponere fetum. Mansit quadrima sterilis in deplorandis Aquilæ Sarmaticæ tumultibus. *Difficile enim* vbi classicum canitur, canere pariter & Musis otij & tranquillitatis amicis: at nunc dum optata in Roxolanicis oris aliquo modo pax effloruit, conceptam iam Orbi educit prolem. Quarè Tuum erit PRINCEPS Illustrissime, vt ipsam Matrem, ita & Prolem ad Te confugientem: meque hâc leui pennâ euolantem, dum eam Tibi cum ea qua par est Viro Senatorij Ordinis debita animi mei submissione præsento, Tuâ Gentilitiâ Patrocinij Fasciâ complecti. Hoc à Te sperat Alma Mater nostra ACADEMIA: hoc de Te nobis innatum Tuum in ipsam studium pollicetur.

Vārseuic. 2. Tur.

Tuæ Illustrissimæ Celsitudinis

Cliens humillimus

FRANCISCVS LIZNIEWIC
Secundæ Laureæ Licenciandus.

AD

ILLVSTRISSIMVM DOMINVM CANCELLARIVM
Inclytæ Academiæ IAGEL:
ODE DICOLOS TETRASTROPHOS.

Magne ſacrati moderator Orbis
PRÆSVL & PRINCEPS, pia cûi refulget,
Cûiq; virtutum celebres reuincit
FASCIA laudes.
Martijs ſemper recreata Campis,
TE Domus Patrum (Domus ô decora
PRÆSVLVM Mitris) LECHICO beatum
Protulit Orbi.
Illa Magnorum fuit, eſt, eritq;
PRINCIPVM nidus, generoſa quorum
Pectori fortis ſua vel refixit
Arma Gradiuus.
Ipſe vel flexi Dominator Orbis
Ad ſacræ Sedis vocat (vt ſeuera
Impiæ poſſent dare iura plebi)
Iuppiter Aulam.
GNESNEIS nuper religata Summi
PRÆSVLIS (veſtræ Domus ô coruſci
Sideris; claré micat hoc) Tiaris
Tempora vidit.
Vidit & ſacros LECHVS ipſe Diuûm
PRÆSVLVM FASCES ſibi quos celebris
Vrbium PRINCEPS LECHICIS in oris
GNESNA dicauit.
Vota ſoluiſti LECHICI Monarchæ
AVSTRIÆ Magnos adeundo REGES
Vt ſalus & pax niueis reuiſat
Oppida bigis.

TE PREMISLANIS pia dextra QVARTI
Rite VLADSLAI, pia TE potentis
Præficit sacris, TIBI dat sacratas
Dextra curules.
TEq́ʒ secreti *voluére REGES*
Conscium quondam sibi; publicisq́ʒ
CVRIÆ Factis, sapientis instar
Nectere CONSI
TE VAVELLANIS habilem Tiaris
Esse duxeruut; Tibi CRACVS ipse
Tradidit plebem, vel oues sacrato
Iunxit Ouili.
TE recuruatis LECHVS ipse nuper
Poplitum flexu coluit, retecto
Et TIBI pronus sua vota nutans
Vertice fudit.
Nuper exortos LECHICVM per Orbem
Turbinum motus sine non refusis
Sumptibus tutò TVA quos beata
Dextra remouit.
CZORSTINIANÆ fera monstra cautis
TV restinxisti; TVA summa virtus
CRACIDVM certam pauidæ salutem
Præstitit VRBI.
HERCVLES non sic domitor patentis
Orbis, horrendum domuit colubrum,
Perditus non sic fuit Herculano
GERION ausu.
Ergò TE CELSA colet Arce CRACVS
TE peregrinis celebrabit oris
VANDALVS; blando recinet susurro
NAIS & ipsa.
TEq́ʒ LECHÆI columen SENATVS
Noster annoso memorabit æuo,
Facta, Virtutes, ACADEMVS vsq́ʒ ad
Sidera tollet.
ALES æternum Duce TE volabit
SCEPTRA florebunt ACADEMICORVM
Quêis IAGELLONES voluêre Musas
Esse decoras.

SIN-

SINCRISIS
AQVILÆ SARMATICÆ.

Sarmatiæ quondam gemini vixêre Monarchæ,
Quos Iouis excelsos candida fecit Avis.
Ille Lechvs Princeps, Rex iste Iagello vocatur,
Condidit is Regnum, condidit iste Scholam,
Is populos Regno, Musas ast iste Lyceo
Iunxerat, vt maneant Regna, Scholæq; simul.
Dat Lechvs Imperijs Aqvilam pro Stēmate, talem
Inclytus ipse suis datq; Iagello Scholis:
Hinc Aqvilam Lechicvm gestat pro Stemmate Regnum,
Et gestat similem sic Academvs Avem
Scilicet, vt gelidos Thraces, coruosque fugando,
Protegat hæc Regnum, protegat illa Scholam.
Dicite nunc Aqvilæ, vestrûm quæ dignior exstet,
Et quæ se iactet maius habere decus.
Non equidem Lechicam censebimus esse minorem,
Sed nec maior, quam fert Academvs, erit.
Illam Rex, hanc Rector habet cum Fascibus: illa
Horrida Martis; & hæc Palladis Arma gerit.
Robur ei, victrix isti sapientia seruit:
Illa Sagum retinet, sed fouet ista Togam:
Illa Magistratus largitur, at ista Corymbos,
Illa Senatores, ast decet ista Sophos
Hostis adest illi: sed & hæc circumdatur hoste;
Illi paret Eques, sed Studiosus huic.
Illa vices suffert, sufferre nec ista recusat
Illa manet tristis, læta nec ista manet.

Rex illi moritur, moritur quoq; Rector est isti
Et similis semper sors in vtramq; cadit.
Dum Zaporouij spectantur busta furoris,
Ingemit illa magis, nec dolet ista minus.
Lauris iam mihi nunc redimiti dicite: Laurus
Cur data nunc vobis, ante negata fuit?
Fors sic Maiores voluerunt. Non: Aqvilarvm
Huius turbatæ causa fuêre vices.
Ales dum Lechidvm bello distenta manebat,
Ales Pieridum pressa dolore fuit
Gaudia postposuit, placuit non edere fœtum,
Nec voluit capiti laurea serta dare,
Ast modo dum redijt pax exoptata: volucres
Lætæ temporibus Laurea serta ferunt.
Laurus erat pacis quid mirum Symbolon: ergo
Est cum pace simul mystica Laurus adest.
Hanc Aqvilæ tandem Regnique Scholæque sorores
Emeritis curant imposuisse viris.
O Aqvilæ semper vobis estote sorores
Nil, quod vos aliquo tempore vincat, erit.
Et tantum felix stabis Polona Volvcris
Quantum Vladsláidum Regia stabit Avis,
Quamq; diu Volvcres vos stabitis, ipse Monarcha
Cum Rectore potens vsque manebit eò.
Viuat Rex, Aqvilæ, Præsvl, Rectorq; Lycei,
Felices Dvcant Et Sine Fine Dies.

Perillu-

Perillustri, Clarissimo, ac Doctissimo

VIRO,

D. IOANNI TONSKI

Iuris Vtriusq; & Medicinæ Doctori,

PROCANCELLARIO

ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSIS

DIGNISSIMO.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS.

DE prædicabo non resonantia
Tumultuosi classica, non caua
Brontea, nec sæui cruenta
Bella canam clypeosq; MARTIS
At TONSCIANÆ *Palladis abdita*
Amplaq; magnæ Regna scientiæ
Vates stupebo, vel loquaci
Attonitus resonabo buxo.
Assurge celsi quæ rapidos Poli
Scrutaris orbes VRANIE, *trium*
Ter vna Princeps ô sororum
TONSCIANOS *modulare cantus.*
Refixa cœlo sidera qui tenet,
Potauit ingens qui Sophiæ salum
Arguta Musarum nitenti
Proluit & sua labra fonte
Quâ tardus orbes Arctophylax viâ
Percurrat, & quâ sidera lucidas
Phœbus reuisat, quâq; plaustrum
Ducat Hyperboreus Bootes
Hic nouit, & quà Lucifer aureum
Lumen serenus fundat in æthera
Quo stella sese fulminantis
Sæpe corusca Iouis receptet:

C *Vel*

Vel cur resoluant imbriferæ vaga, in
Imbres aquarum nubila PLEIADES:
Per vasta cœli, quo bicornis
Tempore Cynthia agat choreas.
Lethalis & qua permaneat febris
In parte, nouit, corporis, & leues
Torpente cur depascat artus
Morbus edax maciesq; tabo
Periculosos hic medicamine
Depellit ægro corpore Principis
Morbos, recessus Archiatrus
Præsuleæ *tenet hic* salutis.
Non ipse quondam talia IVPPITER
Præscripsit ægris pharmaca, callidus
Hanc nouit artem, nec medendi
Aut PODALYRIVS *aut* MACHAON
Sacrata TONSCI *Cæsarei benè*
Arcana iuris mente tenes Tuâ;
Iustinianæasq; Legum
Cum Titulis bene scis Rubricas
TE GRATIANI *causa per æthera,*
Distinctio TE *vectat, & omnibus*
TE *posteris dicent sacrati*
PONTIFICVM Canones *celebrem*
TE *nostra cælo laudibus euehet*
Camœna semper, TE *celebrabimus*
Dignatus es quorum Corymbêis
Tempora nunc redimire sertis.

Excel-

Excellentiſſimis, ac Doctiſſimis DD.

EXAMINATORIBVS,

ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSIS PROFESSORIBVS.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS.

ET vos retentis Pieridum Decus
Thyrſis adornant CASTALIDES Deæ
Vos noſtra geſtat prænitenti
Pectine concelebrare CLIO.
MLINKOVIANÆ clara ſcientiæ
In mente ſacra fulgura detonant
Duri Sophorum vel laboris
Vel ſtudij renitent fluenta.
Dum prouidorum belligeræ Sophûm
Surgunt phalanges fortia Palladis
Eſt caſtra viſunt diſputantes
Hoc Duce bella gerunt cohortes.
LIPNICIANI limpida defluunt
Torrentis inſtar flumina pectore
Sermonis, vndans Tullianæ
Ex animo fluit vnda Suadæ.
Maronianis inclyta dotibus,
Huic Muſa præſtò fundere qui potis
Sit metra: cornuto beauit
Hunc & Ariſtoteles Achille.
Et TE RADOMI Threijcium quoque
Plectrum ſonabit, qui Sophiæ bonas
Complexus artes, eruditæ
Mente Tuâ recolis Mineruæ.
Vos literatæ lumina Curiæ
Per longa veſtris luſtra laboribus
Lucem feretis, vos poteſtis
Poſthuma laude notare ſêcla.

AD VENERABILES DOMINOS SECVNDÆ LAVREÆ CANDIDATOS Proloquium.

VEneranda peracti sæculi antiquitas, si aliquando Auium Reginam IOVISQ. *Armigerum, sedentem conspicata fuerit* AQVILAM, *inquietæ; si verò volantem, pacificæ felicitatis, certissimum semper iudicabat præsagium, Venerabiles* CONCANDIDATI *mei. Princeps Studiorum & vnica in Septentrione Musarum* AQVILA *Academica, per quadriennium infecunda manens, nunc in publicum vobiscum, ad solem rigidi Examinis probatis iam sese explicat. Demiserat aliquando præteruolans, (si solerti Plinio credimus) in sinum* LIVIÆ DRVSILLÆ, *quæ postea Matrimonij nexu* AVGVSTA *vocata, ramum* LAVRI *baccis onustum: hæc quoq; Vestris Coronas Laureas (quibus in signum pacis & victoriæ* IMPERATORVM *cingebantur tempora) pro tot exantlatis laboribus, totq; deuoratis molestijs, imponit capitibus. Felix auspicium liceat nobis ominari, dum desideratæ in Auito hoc & Sacrosancto* D. IAGELLONIS *Potentissimi Poloniæ Regis* PARNASSO, *tandem aliquando reuiruêre* LAVRI. *Ampliùs nulla obtrectantium fulmina timenda erunt: omnium Næuiorum impetus & sugillationes, retundi & sustineri poterunt audaciùs. Quousq; hæc generosa* REGVM ALES, *per vastum orbis vniuersi, in ore sapientum virorum volitabit æthera, eousq; vestra, aliorumq; huius* AQVILÆ *natorum immortalis fama vigebit. Quod si* ARCHILOCHORVM *dentibus, aut vibicibus, vestrum nomen impetatur; illo* VARSEVICII *estote quieti:* LAVRVS & mediâ hyeme viret, & virtutis ingenijq; fama, etiamsi aliquos habueris næuos, nunquam arescit.

I. V.D.

I. V.D. FRANCISCO PETRICIO CRAC.

Effigie atq; nomine referens Patrem, optimæ spei filius, non solùm in hæreditatem, verùm etiam in virtutem Paternam creditur successurus. *Christophorus Varseuicius Orat. 7. Turcica.*

PETRICI facunde Nepos SEBASTIANI; amœnas qui studijs secutus
Inclyti Musas docili Maronis
Indole fingis.
TE canam Magni Patris, ac Auorum
Filium: cuius tonat vt PERICLES
Lingua, facundus, loquiturque blando
Tullius ore.
Cuncta lustrauit Tuus ô Sophorum
Maximus Princeps, Auus & superbæ
Principem STOÆ docuit Polonâ
Dicere linguâ.
Hicque solertis lepidas Horatl
Voce sic nostrâ docuit Camœnas
Colloqui secum, roseus quod ipse
Vidit Apollo.
Quin & exhaustas salubri leuabant
Corporum vires medicæ repertu
Artis; & Febres & acuta morbi
Tela fugabant.
Ergo Tu magnos imitatus olim
PETRICI Patres, referes sonorum
Semper ANDINVM, Ciceronis atque
Ora diserti.

II. R. D. IOANNI VNIKOWSKI PRESBYTERO.

Rarius alia, quàm sacra sacrato ex pectore verba debent tonare. *Idem 3. Tur.*

PRIdem reuinci promeruit Tua
O VNIKOWSCI *lauriferis coma*
Sertis, & ornari virenti
Tempora digna fuêre baccâ.

 Tandem

Tandem relapsis debita sæculis
Merces laborum redditur, & Tuam
Frontem religant & sequaces
Tempora condecorant Corymbi.
Tu Dia Mystes limina Maximi
DEI *frequentas, & rutilo manus*
Cælo supinas fert Tonanti, &
Hymnisonas canis ore laudes.
Vt Phœbus altis aurea splendidus
Impertit astris lumina, Te Duce
Lunæ DANILOVICIORVM
Clariùs in Patrijs micabunt
Plagis, Olympi sideribus Tua
Quêis cura claræ nunc sapientiæ
Instillat impertitq; lumen
Promeritis studijsq; splendens.

III. V. D. IACOBO PIOTRKOWIC.

Si labore & industria aliquid confeceris, abit tandem labor & restat decor. *Idem.*

QVæ CROMERVM quondam LECHIACVM Patria, sidus
Fudit: PIOTRKOWI Te tulit hæc eadem
Quæ PIOTROVICIVM lumen columenq; Lycei
Edidit, hic idem Te tulit ipse locus
Vt natale solum commune Tibi fuit: Esse
Communis debet, Mens studiumq; Tibi.
Ergo si rerum cupias cognoscere causas
Quid sit cognoscas cura, laborque priùs.

IV. V. D. STANISLAO RVSZKIEWIC.

Magnus est honos in Principum versari comitatu. *Christ. Varsf. Orat. in Obit: Steph. Reg.*

ARtium Præses, studijq; cultor,
Quæ sui cultos studij Tyrones
Adiuuat; confert tibi Laureatos
Pallas Honores.

Doctus

Doctus in multis Tibi pallidarum
Artium lymphas Stagiræus, atq;
In Tuo magnas studij refixit
Pectore dotes.
Melleâ semper comitante Suadâ,
Ipse quem Graiæ stupuêre Athenæ
In Tuo torrens rapidus loquendi
Pectore regnat.
Te PALATINÆ *decorauit Aula*
CVRIÆ *nuper, decoratq; Magni*
Nunc & Herois Domus, & potentûm
Sanguis Auorum
Nobili pergas dare iura, pubi
Atticos quondam Tua nec retardet
Ritè Cyrrhæis sociare Musis
Cura lepores.

V. V. D. IOANNI FRINSKI.

Labor spe otij fit leuior. *Christ. Varsau. 3. Turc.*

FRINSCI ne doleas, neu miserabiles
Decantes elegos, tinnula pollice
Molli cum fidibus barbita concites
Interpone tuis sales.
Nunc curis. Virides Castalidum Tuis
Dux Lauros nitidus temporibus parat
Myrtho sollicitum fatidicâ Tibi
Cinget Musa breui caput.
Te doctarum hederæ præmia frontium
Adiungent Superis; improbus & labor
Contexet celebres laudis adoreas
Musarumq; molestiæ.
Te non castra iuuant, & lituo tubæ
Permistus sonitus, belligeri neque
Martis tela decent, sed gelidum nemus
Ornat Palladis inclytæ.

VI. V. D. ADAMO KVCHARSKI SVBDIACONO.

Modeſtia radix eſt, & altrix virtutis & veræ famæ. *Ex Cent. miſcel. Epiſt. 17. Lipſ.*

NON ego Te memori repetam nunc pectine: magna
Kvcharsci virtus, Te Tua concelebrat.
Excubat in niueo ſedata modeſtia vultu,
Quæ Myſten magni denotat eſſe Dei.
Inq́; Tua reſidet rerum prudentia mente,
Quæ Te verſatum prædicat eſſe Sophum,
Ardua colluſtras, nodoſa reſoluis, aperta
Mentibus inſtillas ordine quæq́; ſuo.
Laurea ſerta parat Tibi pro virtutis honore
Cynthius, & ſtudijs Pallas amica feret.

VII. V. D. SIMONI RYSKIEWIC.

Sapiens eris ſapientibus ſemper aſsidens. *Ex Comicis Græcis.*

QVem litterati ſacra VITELLII
Pallas recoxit, quemq́; diu Lares
Fouere ſecum, dulcis & quem
Tulliani docuit Camœna.
Luſtrare fontes eloquij. Mea
Cantare laudes, ingenuas ſimul
Artes & illius canoris
Clio ſtudet geminare plectris.
Hic nam peramplas præpete porticus
Summi Sophorum Principis abdita,
Curſu peragrauit libentèr,
Sollicitâ relegendo mente.
Arcana. rerum prouida Te Parens
Natura, multis dotibus ingeni;
Ornauit, & Suadæ venuſta
Eloquio decorauit ora.
Quid ergo mirum, ſi Tua pectore
Fluxit decoro Pitho, Academicus
Quid ſit Magiſter, dum diſerto
Ore Tuo tonuere roſtra.

Te vis

Te vis Magistri magna VITELLII,
Ad summa rerum prouehet altiùs,
Magnis honorum Te serena
Sæcula muneribus beabunt.

VIII. V. D. IOANNI DYMOWSKI.

Non potest iucundè & tranquillè viui, nisi honestè. *Cic. lib. 2. de fin. bon. & mal.*

QVid mirum DYMOVI! *quod Tu de pace loquaris,*
Cùm pacem placido vultu, animoq́; geras.
Sæpè solemus ijs de rebus dicere; quarum
Scintillæ nostro pectori inesse solent.
Te pacata, Sophum pacatum, Musa creauit
Vt pacata Sophus prælia sæpè geras.
Viuere si pacatus aues, tunc viue at honestè
Sic pacata Sophis vita venire solet.

X. V. D. ALBERTO SWIATŁOWIC.

Præclaris virtutibus præclara præmia, & insignia virtutis semper conueniunt. *Natalis Comes hist. lib. 15.*

DIALOGISMVS POETÆ CVM EODEM.

P. QVid Tua Musa velit, lepidissimè fare SVIATLOVI,
S. Imponi capiti Laurea serta cupit.
P. Quid Tibi cum Lauris? S. Lauros non fulmina tangunt,
Cæsareum decorant, Præsuleumq; caput.
P. Ast vbi nunc Lauri, dum maxima frigora regnant?
S. Et medio brumæ tempore bacca viret.
P. Ergo Tuæ viridis detur iam Laurea fronti,
Atq; Tuum decorent Laurea serta caput.
Te Studium Sophiæ, Canonum, Legumq; celebrē
Reddat, Te varijs condecoretq; modis.

XI. V. D. PETRO BARSCIO Crac.

Si pulcher es, lauda naturam; si diues es, lauda fortunam; si sapiens, lauda te ipsum. *Sen.*

RES maior pretio, FORTVNA, SCIENTIA, VIRTVS,
Quæ tria mortales concelebrant animos.
Te tribus his sapiens ornat Natura talentis,
Est fortuna Tibi, est ingenium, probitas.
Felix Augustâ nasci quem contigit Vrbe,
Quem genus & Patriæ splendor in orbe canit
Magnanimæ pulchro virtutes Te comitantur
Passu, Te Probitas addecet atq; Pudor.
Ingenium sublime Tibi, Tibi gratia fandi
Mira subest, castis vocibus atq; lepor,
Et Tua sæpè nitet virtus: sunt Rostra TRIADIS
Testes, eloquio condecorata Tuo.
Edita Te vasto celebrem monumenta loquuntur
Orbi, sic Patriæ fama perennis erit.

XII. V. D. PETRO ORCHOWSKI.

Tanta est virtutis vis, tantaq; species; vt vel hostes virtutis, in admirationem virtutis rapiantur. *Varsau. Orat. in Obitum Steph. Regis*

MVlti nubiferis, attollunt Alpibus aurum
Cræsi, vel Phrygij diuitiasque Mydæ.
Purpura delectat multos, & Sceptra Potentes,
Bellaque magnanimos sat recreare putes.
Pulchriùs haud aliquis Nostrûm consurgit in altum
Quàm Virtute Duce, & dotibus Ingenij,
Ergò Tvæ dabit Virtus sociata Mineruæ
LAVROS æternùm, queîs redimitus eris.

XIII. V. D. ADAMO GRONKOWIC.

Honos non solùm alit artem, verùm etiam virtutem. *Plut. in Lacon.*

NVlli certè datur magnos conscendere honores,
Nec audax quenquam cura beare potest.

Sed

Sed per virtutem ſolam, verumq́; laborem,
Ad veri ingreſſus culmen honoris adeſt.
Aſt Tu quo valeas verum conſcendere honorem
Laudis iter curris Palladis in ſtadio.
Te Medicina, (cui totâ impalleſcere mente
Contendis) celebrem Te ſuper aſtra feret.
Et Græcas recolis vigili Tu pectore Muſas,
Quod non ſufficiat Muſa Latina Tibi.
Perge bonis auibus, ſic incrementa capeſſes
Virtutum, viues auctus honore diu.

XIV. V. D. FRANCISCO APPEL, CRAC:

Vt equi pernicitas alterius pernicitate; ſic ingeniorum ſagacitas excitatur ſagacitate. *ſʒ. Turc. Varſau.*

APollo prodi iam reſonantibus
Aſſume blandam cum fidibus Chelyn,
Ter tres Sorores in virenti
Atq́ue Deas Helicone linque.
Cliuoſa ſacri, iam iuga Cynthij
Dimitte, iam iam culmen amabile
Biuerticis Pindi, beatum
Linque precor nemus atq́ue ſedes.
Fer Laureatas iam Cidares, quibus
APPELLIANAS condecores comas
Baccas fer, & Myrtum, roſaſq́ue
Et violas, calathoſq́ue tecum
Hic ille, cuius pectore Tullij
Facunda pulchro detonat inclyti
Suadela, cuius vel canoro
Iam dominatur in ore Neſtor.
Hic ille ſummus, quem ſtudij Parens
Erudiebat, quem Sapientiæ
Amplis redonauit Minerua
Dotibus, ingenijq́ue donis.
Te fama viuax reddit amabilem
Et clarat ingens gloria Sanguinis
ZAMOISCIANVS, quem Jugalis,
Præſulea redimit Tiara

Magnus Magister, Te volet inclytum
Aequè Magistrum reddere seculis
Multosque Mecœnate tanto
Iam Tua Musa videbit orbes.

XV. V. D. GEORGIO KONARZEWSKI

Laborum magnum incitamentum est gloria.
M. Anto. Natta de immort. animi. lib. 4.

TE nunc Pallas amat colitq; Phœbus,
Dulces Aonidum chori Dearum,
Commendant calamo loquaciore,
Cum Parnassia Te Tuamq; frontem
Laurus condecorat tegitq; baccis.
Quid? KONARZOVIVS *decus Sororum,*
Secretos studij profundiore,
Sensus Castalidum resoluit ausu.
Arcanos animos stupens recessus,
Te virtus celebrabit orbe toto,
Te doctrina leuem feret per orbem.

XVI. V. D. STANISLAO GIERADTH,

Cum literis & lectione, tum verò vsu & tractatione rerum prudentia comparatur. *Varsauic: in Obitu Stephani Regis.*

INuitant oculos halantes floribus Horti,
Allicit ast iuuenes docta Minerua magis
Pascit odoriferis violæ nos hortulus vmbris,
Mitra datur capiti hic annulus ast digitis
Quàm benè conueniunt hortus, sedesq; Mineruæ
Floribus ille viret, sed viget iste viris
Sæpè fuêre horti perpulchra palatia Musis,
Ex hortis Laurum primus Apollo tulit
Tu quoq; fragrantis victricem. Lucifer horti
Sumpsisti Laurum, quâ redimitus eris.
Ergò sacro iunctā cum Mitra fœdere Laurum
Accipe, sitque Hortus Pallas vbique Tibi.

XVII.

XVII. V. D. JACOBO MOSCICKI.

Literis & doctrinæ laus & fama est, præmia rara.
Lips. Quæst: 45. ex Cent: Sing. ad Ital. & Hisp.

QVem sagax rerum placido creatrix,
Ore formauit; placidosq́ menti
Indidit mores; Tibi Musa cultum
Dicito carmen.
Roxiæ flexis satus hic in oris,
(Quas atrox nuper populatus, & quas
Cosacus multùm Zaporouianis
Terruit armis)
Diua MOSCICCI *Tibi præsto Pallas*
Adfuit semper, Tibi Laureatos
Laude cum summa tribuit quieta
Pallas Honores.
Te Tuo semper nitidæ futuris,
Gestiunt Musæ celebrare seclis,
Te per obliquas Aquilonis oras,
Clio sonabit.

XVIII. V. D. GREGORIO OCHABOWIC.

Cura & cogitatio acris, malleus est difficultatis.
Varsauic: de Legato & Leg.

SÆpè mihi lepidæ multùm placuêre Camoenæ
Quas Tua mens dulci pectore sæpè fouet
Non ego Te Musas OCHABOVI dicere possum,
Huius quâ polles artis habere Deas.
Te Plato, Te Cicero, Stagyrites, Teq; Galenus
Inclytus, arcanis erudiere suis.
Ast tamen vt video memori pandere cuncta
Mente, mihi oppositum mente tenere placet.
Non Plato, non Cicero, Stagyrites nonque Galenus
Ipsa Tui causa MNEMOSYNE est studij.

XIX. V D. FRANCISCO MLYNARSKI.

Justus ac honestus labor honoribus, præmijs, splendore decoratur. *Cic. lib. 1. de Orat.*

TE mea Musa canet, MLYNARSCI; *nam Tua vir-*
Te benè condecorat. *(tus*
Laudabunt alij genus, (id non fecimus ipsi)
Te Tua facta decent.
Teq́ꝫ labore grauis summo studioq́ꝫ molestus,
Ornat ARISTOTELES.
Pro rostris toties vidi CICERONIS *abundè*
Ora diserta refers.
Ergo Tuum referet mortalibus os CICERONEM,
Ars & ARISTOTELEM.

XX. V D. NICOLAUS ZALASOWSKI.

Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat sed gloriæ. *Sen: ad Lucill. Ep 65.*

VLla si laudis Tibi gloriosæ
Pompa debetur, Tibi si vel vnquam
Maior accrescit cumulata dignis
Gloria factis.
Ecce depicto volat illa curru
Laureis ornans caput, enitescis
Pulchrior multo, Tua dum refulgent
Tempora baccis.
Musa Te toto memorabit æuo
Musa Dyrcæo Tua facta plectro
Posteris dicet volucrisque Craci
Incolet ædes.
CRACIDVM germen columenque Magni
Inclytum quondam fueris Senatus
Si Tua mentem celebris nec antè
Gloria vertat.

XXI. V. D. JACOBO ZIEBROWSKI.

Vera virtus nihil moratur hominum laudes.
Eras. lib. 6. Apoph.

MAter pulchra scientiæ,
ZIEBROWI *nitidæ iam sapientiæ,*
Claris muneribus beat,
Finitis alacri mente laboribus,
Non te soluis in otio,
Te reddet placidâ Phœbus amabilem,
Laudum & Pallas adoreâ.
Diuæ magnanimum CRACIADES, *quibus*
Te natura dedit, fouent
Ipsæ ritè fauent Castalides Deæ.

XXII. V. D. BENEDICTO GOZDOWSKI.

Crescit,& quomodo nescit,qui Deum Opt: Max: & eius vices gerentem reueretur Magistratum.
Vars. 6. Turc.

OBstupuit quondã Mundi caput inclyta Roma,
Cùm CICERO è rostris,& CATO verba daret.
Dulcia Cecropiæ Grai Demosthenis ora,
Miratæ populo cùm sua verba daret.
Et Te GOZDOVI nostræ stupuêre Camoenæ,
Dum Tua verba pio pectore Suada tulit.
Tu iustas placido fudisti pectore grates,
Digna quibus magni PRÆSVLIS ara fuit.
Tu cultor Iuris, Legum, Canonumq; sacrorum,
Nodosique manes cultor Aristotelis:
Ergo iam poteris magnos superare CATONES
Dum tantis rutilas dotibus ingenij.

XXIII. V. D ALBERTO STRAZYC.

Sapiens vir vates est optimus. *Cic. 3. Off.*

ORbes Astrigeros, qui tenuit manu,
Stellas innumeras qui numerauerat,
Eius nunc lepido dicite carmine
Fratri: Pierides laudis adoreas.

Hunc cunctis populis eloquij decus
Reddet conspicuum: quem sapientiæ
Dotes concelebrant, ingenij vigor
Ornat, quem studium clarat & artium.
Ergo dum assiduo maxima possides,
Et versas animo dona scientiæ
Te, nomenq; Tuum vatibus inseres,
Et celso feries sidera vertice.

XXIV. V. D. BERNARDO CHRONIC.

Gloria virtutem sequitur etiam fugientem. *Apud Erasm. in simpl.*

TE non adornant Pegasides modò
Tuum, sed adsunt Craciades, decus
CHRONICIANÆ quem supernos
Ore suos referunt Penates.
Decora celsi sidera pegmatis
Lustras ocellis, abdita Dædalæ
Secreta naturæ reuoluis
Et solitos reuocas ad vsus.
Non miles, at Tu prælia detonas
Canora acutum classica suscitas
BERESTECENSES dum Camoena
Ore Tuo celebrauit ignes.
Florebit olim gloria Posthumis
Quæ Te sequetur maxima sæculis
Futura, Te semper loquetur
Posteritas Tua facta dicet.

XXV. V. D. CASIMIRO SWIECHOWIC.

Artibus ingenuis quæsita est gloria multis. *Ouid. 2. Pont. 1.*

PRæsulum sacris decorata Mitris,
Siue Mystarum celebrata cætu,
Quamq; subuertit rapidus supinis
Vandalus vndis.
Cuius extollunt placidos sicanæ
Ora nautarum, Cereris liquores

Patrios

Patrios finxit tibi ritè VLADI-
SLAVIA *Diuos.*
O Tibi Phœbus studij reponet
(Cura si præstò fuerit) thesauros
Vltimo nec si teneras salutes
Limine Musas.
Perge secretos memorando mente
Artium Libros monumenta Magnûm
Volue Doctorum, Tua sic vigebit
Fama perennis.

XXVI. V. D. JOANNI BROZYNA

Sapiens cogitat semper qualis vita, non quanta sit: non enim viuere bonum est, sed benè viuere. *Seneca in Epist.*

SPecto Tuæ geminas semper fauisse Patronas
Vitæ; CRACIADES THESPIADESq; Deas.
Illæ Corpus, at hæ Sophiam, moresq; dederunt
CRACIADES Patriam, THESPIADESq; Scholã
Quæ Tibi dic harum, quæso, maiora tulêre
Commoda? dic harum quæ quoque maior erit?
CRACIADES purum donarûnt viuere, Diuæ
Vt benè sed possis viuere THESPIADES.
Ergò CRACIADES debebunt esse minores
Maiores debes dicere THESPIADES.

XXVII. V. D. STANISLAO SKRZESZOWSKI.

Virtus clara æternaq; habetur *Cic. lib. 1. de Nat. Deor.*

Q*Væ celso resides Diua cacumine,*
Et quæ Caucaseis rupibus horrida
Hæres; VAVELII *quæ iuga permeas*
Nunc, nunc SKRZESOVIO *dulciloquã manu,*
In laudes meritas tange precor chelyn
Hic virtutis amans, & studij Sophûm
Non ignarus adest, Palladis atria
Hic calcat cumulos omnigenos sibi

Artis consocians & sapientiæ
Ibit per varias fama Tui plagas.
Pernix, & meritis Tu celebraberis
Per mundi varios laudibus angulos.

XXVIII. V.D. CASIMIRO DMOSICKI. Nob.
Semper Laurea comitata Musis, & Toga septa armis magis refulget. *Vars. 3. Tur.*

NObile quem decorat, felix est, nomen Auorum,
Laudeq; cui præeunt splendida facta Patrum,
Propria quem virtus ornat felicior ille est,
Et quem virtutum insignia clara notant.
Magnanimæ mentis retines duo vincla DMOSICKI
Virtutemq; almam, pulchraq; facta Patrum.
Stemmate de antiquo ramum millesime ducis,
Nobilis in studijs, nobilis ingenio.
Nobilitas generis virtuti iuncta potenti,
Insignes fructus, commoda mille feret.

XXIX. V. D. MARTINO WINKLER. Crac.
Honorata virtus cessare nescit, & præmijs, honoreq; vt flamma ventis excitatur, & ardua petit. *Iacob. Gorscius in Præf. in Orat. Philippi Calimachi, in Synodo Episcoporum de Contrib. Cleri.*

QVos Patriæ pietas trahit, aut iam dulcis amanæ
Libertatis amor, studijs quos
Inuigilare iubet. Magnorum sæpè Parentum
Palladium soboles decus esse,
Nata solet rostris; liceat nunc Vrbis amicæ
Dicere Te columen, Patriæq;
Fulcrum, Libertatis asylum grande futurum
Delicium, iubar & decus amplum.

XXX. V. D. IACOBO RORAYSKI Crac.
Non ætate verùm ingenio adipiscitur sapientia. *Plautus Trin.*

PAucis ante annos perfecta scientia venit,
Quâ grandæua nimis sæpe senecta caret.

In

In Te Diua ſuam fixit ſapientia ſedem,
Annorum longas præueniendo dies.
Quid mirum! Tecum quoniam ſapientia creuit,
Quem mox prognatum, docta Minerua aluit,
Virtus nutriuit, probitas, pietaſque, decorque,
Ornauit roſeus pingit & ora pudor.
Magna *Patris Soboles*, doctæ creſcaſque Mineruæ,
Omnibus vt fias lux, columenque Tuis.

XXXI. V. D. FRANCISCO PRZEWOSKI

Ingenij præclara facinora immortalia sũt. *Saluſt. in Catil.*

SVauis dulciloquas ô neq; tibias
EVTERPE *cohibe, nec* POLYHYMNIA,
Argutum renuas tendere barbiton,
Iam tandem lepidis ecce ſororibus
Stipatus remeans Palladias volens
Lauros eximiâ fronte capeſſere.
Nunc PRZEVOSCIVS. *Hic Caſtalidum decus,*
Facundi nitidus ſplendor Apollinis,
Sunt quorum ſtudijs Tullius eloquens
Cura peruigili præſidet, & quibus
Permultum ſapiens Cecropius fauet
At PRZEVOSCIANIS *Tullius annuit*
Muſis in ſtudijs hunc iuuat & Plato.

XXXII. V. D. IOANNI FRESEL.

Eſt virtutis merces gloria, quæ eadem bonis viris tribuitur.
Ethic. lib. 4. cap. 3.

PRima quem Laurus redimiuit olim,
Quemq; Nyſæi decorâre Thyrſi,
Quique ſacratos Academicorum
Prêndit Honores.
Illius frontem decores ſecunda
Laureâ, Pallas decoreſque Thyrſis:
Huicque Lemniſcos Academicorum,
Confer honorum.
Ille longinquis remeans ab oris
Roxiæ, cultas celebrauit artes
Mente Muſarum ſpatioſa viſit,
Regna ſacrarum.

 Ille

Ille munitus clypeo Mineruæ
Cuncta iam forti ſuperabit auſu,
Illius nomen radioſa ſcandet
Eſſeda Famæ.

XXXIII. R. D. ALBERTO NVCERINO, Ord. Canonic. Regul. Cuſtod. SS. Sepulchri Hieroſol. Conuent. Miechou.

Ad virtutem via bona & compendiaria, eſt vitæ ſæcularis fuga. *S. Nylus.*

Plurima ſunt in Te, quæ ſat NVCERINE *relucent,*
Eſt DOCTRINA, PVDOR, RELLIGIO, PIETAS,
Doctrinam *Muſæ dederunt, Natura* Pudorem,
A virtute fluit Relligio, Pietas,
Nobilis vt video Te virtus nobilitauit,
Proq; Tuo geſtas Stemmate ſigna CRVCIS.
Cur Tibi Stemma CRVCEM *placuit geſtare? cruenta*
Stemma meum vita CRVX *in vtraq; manet.*
Stemmata ſunt alijs, quæ pauco tempore durant,
Hoc at in æternùm Stemma manebit idem.
Ergo ſalutis opem gere pulchrum Stemma decuſſim
In terra, fies nobilis inq; Polo.

XXXIV. R. D. IOANNI DEIACKI, Eiuſdem Ord. & Conuen.

Humanam nobilitatem, in nulla alia re, quàm in ipſa virtute poſitam cenſemus. *Dionyſ. Halic. lib. 3.*

TE quoque nobilitat, Virtus, Moreſque DEIACI,
Te Doctrina, Pudor, cum Pietate decet.
Conſimiles iſtis virtutes eſſe videntur,
Quos idem nexu conſociauit Amor.
Ergo CRVCEM geſtans pro Stemmate, quam quoque geſſit
Confrater, ſimili nobilitate nites.
Inclyta CRVX noſtris maneat contermina SCEPTRIS.
Æternùm vigeant ipſaq; SCEPTRA CRVCI.

XXXV.

XXXV. V. D. ANDREÆ ABREK.

Poma à suo stipite cadere, & Liberi Progenitoribus similes esse consueuerunt. *Varse. 4. Tur.*

O Erudito Diua ZAMOSCII
IVNO *patenti pectore Te dedit*
Orbi; Mineruæ Te nouellum
Deliciumq́, decusq́, Phœbi
Tulit. Magistri proles, Apollinis
Iubarq́, germen Palladis, optime
Nepos Dearum; Pegasus quem
Sponte ZAMOYSCIADVM, *huc remisit*
Illustris adsit Pegasidum Chorus
Huc huc & omnes approperent Deæ
ABRKOVIANO *mox daturæ*
Laurigeras capiti Coronas,
Vester Camoenæ ABRECIVS *ardua*
Scandit bicollis iam iuga verticis,
Ei libenter nunc Honores.
Quantocyùs date Laureatos
Mellita Patris sessitat in labris,
Cuì Suada præstans eloquio; cui
Hermes fauet, dum Tulliano,
Ora rigat benè tincta niptro
Hunc erudiuit, docta CYNERSCII
Pallas lepores, hic placidos gerit
CYNERSCIANIS *in Palæstris,*
Eloquij latices beati.
CYNERSCIANÆ *si fueris memor*
Tuiq́, Patris Palladis; eloquens
DEMOSTHENES *fies, & ipsum*
Ore Tuo CICERONA *vinces.*

XXXVI. V. D. HYACINTHO TOMASZEWIC CRAC.

Nunc dum cuncta mihi, te habere dicam, Iusta (quod doleo) cares staturâ. *Smieſſkouius ad Vitellium.*

DIALOGISMVS POETÆ CVM MVSA.

P. MVsa mihi referas Iuuenem, cur Laurea adornes?
M. Vt pateat cunctis Palladis esse virum.
P. Vir, Iuuenis non est: Iuuenis nec vir solet esse,
Ergo cum Iuuenis sit, iam vir is esse nequit.
M. Tempore, vir Iuuenis, vel contra non solet esse
Moribus ast Iuuenis, vir bonus esse solet.
Ergo licet Iuuenis noster TOMASEVIUS exstet
Tempore; sed constat moribus esse virum.
P. Cur ætate tamen Iuuenem Parnasside adornes?
M. Mores non ætas Laurea serta merent.
P. Moribus ergo virum Lauro iam Musa corona,
Tempore sed Iuueni Laurea serta nega.

XXXVII. V. D. ANDREÆ KOLVSKI.

Hoc naturæ thesauris reponimus, quod famæ commodis applicamus. *Cassiod lib. 8. Epist. 23.*

VT queant blandis resonare sistris,
Facta KOLVSCY *Tua post labores*
Inuoces Musas, aderunt vocatæ,
Phœbus & ipsæ.
Siue quæ sacras Heliconis vndas
Siue Parnassi iuga celsa Magni
Incolunt, fient Tibi cuncta præstò
Numina Diuûm.
Te suis CLIO *memorare fastis*
Gestiet, plectris ERATO *sonabit,*
Teq; gaudebit liquidâ tonare
Voce THALIA.
Ibis & viues hominum per ora,
Perq; longæuos celebris manebis,
Temporum cursus comitatus ipso
Agmine Diuûm,

XXXVIII. V. D. MARTINO FILOWIC.

Nihil Philoſophiá glorioſius puta: Nam cùm mater legis ſit, Regni quoq; Dei conſors exiſtit. *S. Nylus.*

OMnia non omnes habuerunt ſæcula doctos,
Aſt & nunc doctos ſæcula noſtra fouent.
Te nobis celebrem reddet Tua Muſa Maronem,
Et reddet magnum docta Minerua Sophum,
Nam Te nocturnis iuuat impalleſcere chartis,
Dum monumenta Sophûm nocte dieq; legis.
Muſa tuas curas ornabit diuite lauru,
Muſarum greſſus & leget almus honor.

XXXIX. V.D. FLORIANO BARSZCZEWIC.

Quorum præmium honor eſt atq; laus: longè præſtantiora ſunt, quàm ea, quorum præmium eſt pecunia. *Cic: lib: 2. Rhet: c. 9.*

SVnt quos Arma iuuant & Litui decent,
Sunt quos Diuitiæ conſociant Dijs:
Sunt quos Nobilitas, quos Honor inclytus,
Vaſtum tollit ad æthera.
Te non Arma iuuant, Claſsica nec decent,
Nec Te cœlicolis conſociant opes
Artis nobilitas, ac Honor arduus
Summum tollit ad æthera.
Tu ſulcas Sophiæ veliuolum mare,
Et verſas animo: Te Sophus abditis
Exercet rigidus ſæpè perarduis
Muſas erudias Tuas.
Pergas iam domitis Marte laboribus,
Ad finem properes ducere debitum,
Te victrix celebrem ſic ſapientia,
Laus & concomitabitur.

XL. V. D. IOANNI MVLAROWIC.

Laborem non refugit, qui virtutis gloriam concupiſcit. *Caſſiod. Epiſt: 20. lib: 1.*

INclyta pro meritis ſuffulta ſcientia ſemper,
Surgit in immenſum perpetuumq; decus.

Te quoq; sublimi quis non virtute coruscum
Dicat? præmia quis promeruisse neget?
Quem labor assiduus non frangit multa legendo,
Et somnos oculis detrahit ille tuis,
Profluit hinc oris grauitas, hinc gratia fandi,
Hinc morum probitas, integritasq; decens.
Ergo decurras stadium campumq; Mineruæ,
Faustè difficiles iam superando vias.
Sicelides Superûm Diuo de semine Natæ,
Victorem sertis cingite lauriferis.

IAMBVS
Applaudente affectu PVRISSIMVS.
V. D. FRANCISCO LYZNIEWIC, SECVNDÆ LAVREÆ CANDIDATO.

MEis, Amice, non tacende versibus,
Et huius ordinis decus.
Iambus hic studet dicare se Tibi.
Mei ex calore pectoris.
An obstupescis? ô amate Gratijs!
Caputque carum Apollini.
Quod obstrepentis audias, Tuæ Chely,
(Chely pol aureæ, Chely
Eburneæque melleæque) pollice
Iambi ineruditulo
Modosque, fila temperata proprio,
Satis canore dissona.
Quid? erubesces anné eam tibi bonæ
Dedêre mentis indolem?
Tui ingenij scientiæque munera,
Heu quis hic Tuus vigor!
Honosque virtutis laborque pertinax!
Benigna tanta vena quæ!
Poëta vt ante lauream nouus statim
LICENTIATVS audias.

Franciscus Petricius eiusdem Laureæ Candidatus,
Suo in Authorem calore.

APO-

APOSTROPHE
FRANCISCI APPEL Secundæ Laureæ Candid.
AD POETAM.

NVsquam quieto subsidet otio,
Doctrina, præstat limite præuio,
Scientiarum, pacis arcta
Sistere iura, decusq; Sparthæ.
Iniuriarum quominùs absono
Marcescat æuo gloria: scilicet
Linenda Cedro; quos Eburno
Scalpsit adacta stylo Catones.
Integritatis vindicat Arbiter
Sensus capacem qui fouet indolem,
Vices rependit, sorte versâ
In faciem Talionis acrem.
Insonte posco LYZNIEVIVM dein
Candore vatem. Sicelidum satis
Gustauit vndas fonte sacro,
Castaliumq; bibit fluentum.
Matura Doctum quæ Dea verticem
Augustiori pneumate sensuum
Fecundat? ecquis glorioso
Pectore vel Genius nitescit?
Summo profusam gurgite gloriam!
Subtilitatum quotquot acumina
Sparsit metris in ponderosis,
Nec rationis abest venustas.
Diu probatæ tessera gloriæ
Suauem sonabit MNEMOSYNON diu.
Partas vicissim voce laudes,
Posteritas placidè loquetur.

Sub

FELICISSIMIS AVSPICIIS,

Perillustris Adm: R. & Magnifici D.

D. IACOBI GORSKI

I. V. Doctoris & Professoris, Protonotarij Apostolici, Ecclesiarum, Cathedralis Cracouiensis Canonici, & Collegiatæ Omnium Sanctorum Custodis.

&c. &c.

Atque Vniuersitatis Cracouiensis Vigilantissimi

RECTORIS.

CRACOVIÆ,

Apud Lucam Kupiß, S. R. M. Typographum.